



PALAEASTRA LATINA

S U M M A R I U M

Dissidium NON ESSE LATINAM VOCEM EJUS-
QUE LOCO SCRIBENDUM *discidium*, (J.
Llobera).

VER REDIT!, (J. Matteocci).

NOVA ET VETERA, (I. González).

DE JOHANNE SANTOLIO POETA, (A. Avenarius)
CONLOQUIUM IN SCHOLA.

CURSUS GYMNASTICUS, (H. Martija).

DE COMPARATIVO RELATIVO, (E. Jové).

MAX ET MORITZ.

BIBLIOGRAPHIA, (J. Jiménez, E. Jové, J. Gon-
zález).

EL GRAN LIBRO, (L. Marcus) in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permisu

EL GRAN LIBRO

*Para elevar a Dios el pensamiento
Y admirar su poder en los espacios,
No es necesario un mar siempre violento,
Ni un sol que vierta luces de topacios.
Basta un valle alejado de rumores
Al que se llegue por oculta vía,
Que embalsame el ambiente con sus flores
Y que temple el ardor del mediodía.
Basta fijar la vista en el lucero
Pálido y triste que en las noches arde,
Y escuchar el quejido lastimero
Del aye errante al expirar la tarde.
Basta el rocío que en las hojas brilla
Y que el ravo de sol pronto evapora;
Basta del río en la desierta orilla
Mirar el sauce que se inclina y llora.*

MARTÍN GARCÍA MÉROU

LIBER SUMMUS⁽¹⁾

*Mentes in Superos ut mortales tollere possint,
Rectoremque polorum magnificare potentem
Non opus est vastus turbato sidere pontus,
Nec sata cuncta calore fovens rota fervida solis.*

*At satis est vallis quae cordibus otia fundat,
Pace silens, qua semita dirigat abdita gressum;
Florida gratos quae late diffundat odores,
Igniferi medios quae Phoebi temperet aestus.*

*Sufficit albentem maestumque vidisse nitorem
Sideris, obscura dum nox caligine regnat;
Alitis errantis gemitumque audire dolentem
Cum caelo rutilans appetet Vesper in alto.*

*Sufficit in foliis effulgens roscidus humor
Qui arefit ut primum solis succenditur ignis;
Flumineo salices satis est in margine glaucas
Cernere demissis lugentis more capillis.*

LUDOVICUS MARCUS, C. M. F.

(sequar)

(1) Latine vertitur hoc carmen per orbem universum celebratum.

RECOMENDAMOS

**a nuestros lectores y amigos que tomen el disolvente
por excelencia del ácido úrico el**

U R O D O N A L

**para curarse de reuma y demás manifestaciones
del artritismo.**



ANNUS SCHOL. III. NUM. 25 1932-1933 MENSE APRILI MCMXXXIII

PALAEESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

Dissidium non esse Latinam vocem ejusque loco scribendum discidium

In priore indice meo orthographicō⁽¹⁾ rejici nostra aetate a doctis viris scripturam *dissidium* docui, semperque *discidium* esse dicendum. Primus de hac re disputavit Wesenbergius qui, cum ante Madvigium in hanc sententiam adductus esset, quae ad eam confirmandam collegerat cum eo communicavit. Hac disputatione Madvigius magna ex parte, ut ipse fatetur, usus est in *Excursu II* ad I. Tullianum, *de Finibus*, c. 13, n. 44⁽²⁾. Quod autem fusius docet professor Hauniensis et scriptor clarissimus ejus libri qui inscribitur *Adversaria critica ad scriptores Graecos et Latinos*, hic ego attingam summatim.

Traditur nunc ab omnibus receptumque est in lexica, inquit Madvigius, duo esse Latina vocabula *discidium* et *dissidium*, quorum illud a *discindendi* verbo ductum, quod de graviore vi externa dicatur, corporumque et quasi corporum separationem significet et omnino dijunctionem; hoc, a *dissidendo*, animorum quandam dissensum. Hujus tamen paucissima exempla, e Ciceronis scriptis omnia sumpta, ab iis qui accurate disputant proferuntur. Jam sententiam ita suam insignis Grammaticus confirmat.

Prorsus eadem locorum ubi legitur *dissidium* ratio est atque illorum, multo plurium, in quibus probatur certum *discidii* vocabulum, ut hoc optimi et antiquissimi codices habeant, deteriores et recentiores alteram formam *dissidium*, in quam facillime librarii litteram geminando incidebant. Eorum igitur locorum, ubi est hoc vocabulum, sensum postulare demonstrat Madvigius ut hic quoque *discidium* scribatur.

(1) Gram. Class. Latinitatis, n. 176. — (2) M. Tullii Ciceronis *de Finibus bonorum et malorum libri quinque*, D. Io. Nicolaus Madvigius recensuit et enarravit. Editio altera emendata. Hauniae MDCCCLXIX, p. 799 s.

Praeterea sicut *discidium* a *discindendo* et *excidium* ab *excindendo* ducta sunt, *dissidium* abhorret a sessione et consessu et *obsidione*, id autem, cui simile videatur esse *obsidium*, non usurpari addit aut ab aliis optimae aetatis scriptoribus qui sui temporis sermonem servent⁽¹⁾, aut a Cicerone, cuius auctoritate *dissidium* tueri conantur qui ita volunt ut scribatur.⁽²⁾ Itaque qui haec animo comprehendenterit, facile concedet librariorum errore totum illud vocabulum ortum esse.

Singula deinde ordine prosequitur uberius et confirmat Madvigius. Primum quod ad codicum dissensionem attinet, legendum esse *discidium* (h. e. separationem), apud Ciceronem in Philipp. II, 45, e codice Vaticano. Ad Atticum etiam XV, 29, 2 (*constitutum esse discidium*), i. e. divertium, editiones veteres habebant *dissidium*, similiterque XI, 23, 3. Sic M. Tullii aliorumque scriptorum plures loci ad trutinam revocantur⁽²⁾. Deinde ita disserit: Numquam hoc vocabulum, quod putatur esse *dissidium*, in iis locis positum reperiri ubi de sententiis rebusque discrepantibus agitur, sed usurpari *dissidere* aliudve simile; ut cum saepe apud Ciceronem philosophi inter se aut ab aliquo dissidere dicantur, neminem umquam Peripateticorum Stoicorumve *dissidium* usurpare. Tum Klotzium corrigit, qui cum recte *discidium* scripsisset aliquotiens, cedens codicibus optimis, aliis in locis *dissidium* retinuerit, ut sola dissensio intelligatur, cum in iis omnibus alia requiratur gravioris vocabuli vis, quod aut inter singulos usus est familiaris convictus, interitum aut plurium in partes et factiones discessionem aut populorum, sublato commercio et juris mutui communione, diremptionem significet. Plerumque enim cum odii nomine illa vox ita conjungitur, ut etiam ei superaddatur odium animorum quod in hanc separationem et diremptionem erumpit.

Finem disserendi his verbis facit Madvigius: «Satis confirmatum esse opinor nullum esse Latinum vocabulum *dissidium*, id autem quod est *discidium*, ita late patere ut non solum ad eorum separationem qui in diversa loca distrahuntur pertineat, sed ad omnes quorum conjunctio, etiam animorum vinclo astricta, prorsus tollatur et in inimicitias convertatur».

Madvigii doctrinam faciunt suam editiones criticae recentiores omnes itemque accuratiora lexica, ut *Thesaurus Linguae Latinae editus auctoritate et consilio Academiarum quinque Germanicarum...*, quod Latinum vocabulum non esse jam Madvig. Cic. fin., p. 812 seqq. evicit; legitur hodie non nisi in editionibus quarum fides de his rebus nulla est, ut Mignii». *Thes.* V, 1313, 32 seqq. — J. LLOBERA, s. j.

(1) *Sallustium in primis respicit.* — (2) Hi sunt Tacitus, Lucretius, Terentius, Livius, Propertius, Plautus; loci autem Tulliani praeter superiori allatos hi: pro Cluentio 190; pro Caelio 31; pro Ligario 5; ad Att. I, I; Acad. I, 43; de Orat. III, 61; Lael. 35 et 78; pro Sulla 60; pro Balbo 30; de lege agrar. 14; pro Ligario 19. de haruspicium responsis 35; ad Att. I, 17, 7 et IV, I, I. — (2) Occurrit autem *praesidium*.


VER REDIT!

*Immiti constricta gelu jam terra liquescit,
Abscedit tandem bruma morata diu.
Artatur niveum velamen montibus altis
Aeolus et Boreae flamina saeva premit.
Ver redit! et fluitanti floribus undique plaustro
Impositum repetit denuo regna sua.
Ver redit! et glaucae circundant tempora vittae
Floricomumque caput nexa corona rosis.
Sunt manibus plenis varii sine nomine flores
Praecingitque sinum dulcia odore thyma.
A roseis pendens umeris descendit amictus
Multiplici circum quaque colore satus.
Accedit ver, rex vitae cui amica juventus,
Crebrescit circum plurima turba avium,
Atque puellarum in gyrum diffunditur agmen,
Pars thyma, lilia pars casta, rosasque legit.
Ver redit! ardentes oculi fulgore moventur
Se circum faciles: obvia quaeque tepent.
Alterna pariter vice moto ex pectore spirat,
Et redolens zephyrus rubra per ora meat.
Ver redit! et redeunt honor et sua gratia pratis,
Vita redit silvis arboribusque decus;
Rursus colla boum robusta gravantur aratro
Scabram aerugine qui mundat in arva cutem,
Laetanturque novo renovata novalia sole
Villicus et sperans plurima vota facit.
Virgineis labris avium modulamine mixtum
Haeret inaequale hinc inde süave melos,
Incultus pastor teneram laxatur in umbram
Gaudetque emissos longius in modulos.
Murmure surdo apium sua tecta examina linquunt
Et diffusa in agris roscida mella parant,
Post faciles pluvias nunc pacifer enitet arcus
Et Phoebus major semina missa fovet.
Ver redit! irradiantque novis splendoribus horti
Flore aucti vario; nuda virecta tument
Vis lentos torpore situque nova excitat artus
Et grave germinibus vernat ubique solum.*

Jos. M.^o MATTEOCCI, C. M. F.

Albani in Italia

NOVA ET VETERA



In quarto fasciculo anni proxime elapsi, adferebam hac ipsa in sectione *Altaris* picturam una cum vocabulorum recensione praecipuarum ejus partium, et nonnullorum ecclesiae elementorum archaeologicorum. Nunc vero PALAESTRA cum ad sacros altaris Domini ministros in primis exaretur, quae inserviat eorum praxi, idcirco hanc ego materiam ecclesiasticam protractam hic volui, cum adducendo de re duas alias tabulas, tum brevia meo modo commentaria, quae eas reddant luculentiores.

I.—Varia quidem, ut ipse vides, instrumenta atque ea in usu christiani altaris communiora praebet pictura hodierna, quae plagulam incipit atque coronat. Eae res omnium lectorum oculis certe notae; earum autem Latina nomina, ne quemquam fortasse fugerint, haec, quae subduco ut alias, tibi, sunt:

1 Urceus	7 patena	13, 23 lampas	19 catinus
2 malluvium	8 chrismarium	14, 20 candelabrum	21 urceoli
3 hostiarium	9 sitilla	15 turibulum	22 pyxis
4 operculum	10 aspersorium	16 catena	24 pelvis
5 piso-onis	11 amula	17 acerra	
6 palmatoria	12 urceolorumpatina	18 concha	

Ni multum equidem fallor, ii, qui Latinorum classicorum unum amant sermonem in hac nomenclatura, sicuti et in aliis, quas subjungemus, vulgare quidquam et subrude deprehendere rebantur. Indoles tamen Ecclesiae linguae

perennis expostulat, quod hic probandum non insistam, quia omnes facile concedunt, ut proprias sibi res nominibus etiam propriis, iisque, ut fieri possit, homini commodioribus exprimat, quem ad modum jure etiam suo cum scientiae, tum artes varias sibi loquelas cudent recuduntque, nomina fortasse magis, quam res ipsas implicando.

Itaque ecclesiasticorum commodo, et eorum quoque, qui sermonem Ecclesiae sapiunt atque amant, nonnulla referam hoc loco sacrorum paramentorum seu indumentorum nomina. Ne vero res nimis protrahatur, vel fastidium prolixitate moveatur, una ea indumenta ministrorum et altaris deferemus hodie, quae linea materia vel bombycina vel ejusmodi confici solent:

a)	Alba	cingulum	pallium	rochettum	talare
	amictus	dalmatica	pileolus	sandalium	tiara
	camellum	gremiale	pileus	stola	tunicella
	casula	manipulus	planeta	superpelliceum	umerale
	chirotheca	mitra	pluviale	syrma	vimpa
b)	Antependium	corporale	mappa	plumarium	tapes
	baldachinus	filiola	mantile	purificatorium	tentoriolum
	bursa	frontale	manutergium	siparium	umbella
	conopeum	linteum	palia	stragula	vesperale

Hae scilicet nonnullae voces (a) sunt, lector suavissime, quae sacram veluti *indumentariam* hodie a ministris Domini usitatam constituent. Neque vero alia inmerito connexui indumenta (b), quibus species sacramentales atque altare, vera Dominici Corporis configuratio, conteguntur. Pauca nunc de eorum in genere indumentorum historia.

Communi ex auctorum doctrina atque ea antiquissimis innixa picturis scriptorumque primaevorum silentio, fere nullam ad saeculum usque sextum extitisse distinctionem inter profana indumenta atque ea, quae in cultu Dei adhibebat Ecclesia, facile convincitur. Ea quippe esse solebant, quibus honestiores gentes cotidianio in usu utebantur.

Saeculo vero quinto vestes ecclesiasticae colore a profanis vestimentis distingui coepiae sunt: Ecclesiae enim color albus in usu praesertim fuit. Subsequente vero saeculo differentiae increbuere. Nam saeculo sexto occidentales populi rationem vescendi paulatim immutaverunt, ex morum atque usus mutatione, cuius in causa fuerunt juges barbarorum incursiones. Ecclesia tamen vestes suorum ministrorum, potissimum vero in cultus exhibitione, immutatas noluit, sed veteres in genere, etsi parum pro adjunctis modificatas, ad exclusivum altaris cultum adhibuit. Saeculo nono universus fere Occidens iisdem ostebatur ecclesiasticis indumentis, et a saeculo tertio decimo nulla fere magni momenti immutatio inventa est. Nihil tandem hoc loco, causa brevitatis, disserant de variis, iisque ditissimis materiis, quibus temporum cursu vestimenta ecclesiastica confecta sunt, lana, lino, plumario, serico... quae interdum et auro argenteo munifice redimita et erant et sunt. Id nempe curae et dispendii exigebat cultus ipsius Dei, ad quem colendum ea usū veniunt!

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

(Sequar)

De Johanne Santolio poëta⁽¹⁾

Sed tempus est, ut ad Santolii poësin veniamus. Diximus eam facultatem primum animadversam et exultam esse a Cossarto Jesuita, professore artis oratoriae, qui mortuus est anno 1674. Ad explicandum autem ingenium Santolii non levis momenti erat, quod tum temporis magnae partes tribui solebant Latinis litteris, praecipue in collegiis Jesuitarum, neque tum ita neglecta jacebat lingua Latina, ut hodie multis locis jacere dolemus. Postremum florem renatae antiquitatis illos annos recte dixeris. Tum multi poëtae minores Latinos cudebant versus, quos brevi Santolius et splendore indolis et poëtica elegantia longe antecessit. Qui, ut tum moris erat, prima Musae suae dona principibus offerebat viris et regis aulicis. Inter praestantissima ejus generis carmina fuit, quod dedicavit La Quintime, summo magistro regiorum hortorum. Opus in «Ephemeride Sapientum» nam hoc fere est Gallicum «Journal des savants» vehementer est laudatum, breveque Santolius primis adnumeratus est poëtis; litteratorum principes et politici cum Santolio fecerunt amicitiam et in coetus suos dederunt aditum.

Tum vero ab omnibus undique exposcebantur Santolii versus. Is non modo versatissimus erat in metrico artificio, sed versus faciebat plenos acutumine et lepore. Ut Ludovici regis memoria in omnem posteritatem propagaretur, omnibus locis nova surgebant aedificia, profana et sacra, collocabantur statuae, salientium aquarum piscinae vestiebantur caemento, quae opera etiam hodie Parisiorum urbi ornamento sunt. Sed parum in structo lapide commemorationis erat. Santolio igitur datum negotium, ut insculpenda conflaret epigrammata, et est mirum, quantum ille sententiarum brevibus incluserit distichis, quibus et apte rem describebat et posteritati ostendebat, quam arte quandam poësis ceteris bonis artibus conexa fuisset. In stativo castelli regii horologio est hoc Santolii:

*Tempora labuntur rapidis fugientibus horis
Aeternae hic leges fixaque jura manent.*

Eiusdem in fonte Du Ponceau non longe a porta S. Dionysii est:

*Nympha triumphalem sublimi fornice portam
Mirata suis garrula plaudit aquis;*

ubi mihi scribendum fuisse videtur in libro meo «Demirata suis», ut plenus es-
set pentameter.

Carolus Perrault, celeberrimus inter Gallos criticus, de epigrammati-
Santolinis sic habet: fecisse Santolum inscriptiones omnium fere Lutetiae
fontium et scripsisse tam lepida, tam venusta, tam elegantia, ut non potuerit
fieri melius. Omnia fere disticha locis suis mire accommodata esse tamque
uberes paucis vocabulis referre sententias, ut, quotiescumque praetereamus,
cogamur relegere.

Scribebat etiam epitaphia et epithalamia. Sed non raro accidit, ut qui
versus mandaverant, diuturna fatigarentur exspectatione. Cuidam religioso
viro illam conquesto tarditatem Santolius rescripsit:

(1) Confer mun. sup. p. 87.

*At nos severis docta laboribus
Cudenda longis carmina scribimus;
Redduntur incidi impolita
Atque novis recoquenda flammis.*

Ex epitaphiis hoc habe exemplum, quod scripsit Johanni Lallio Florentino, musico Ludovicini saeculi:

*Perfidia mors, inimica, audax, temeraria et excors.
Crudelisque et caeca, probris te absolvimus istis
Non de te querimur, tua sunt haec munia magna.
Sed quanto per te populi regisque voluptas
Non ante auditis rapuit qui cantibus orbem
Lullius eripitur, querimur: modo surda fuisti.*

Parisii Santolium honoris causa publici urbis pætam declaraverunt et gratificationem decreverunt annuam. Etiam aliae arbes Santolium praecipuo habebant honore. Sic Divisionenses quorum celebraverat ille comitia, nonnulla dolia vini miserunt. Ea dum flumine Sequana devehuntur, Santolius jocatur metrice:

*Hactenus irrisi jam in honore poëtae
Exque carminibus gaudens Burgundia nostris
Obtulit e fundo nata et felicibus astris
Digna Deum mensis generosi munera Bacchi.*

Ei cum per hiemem illa dolia aliquamdiu transportari non possent, idque nuntiatum poëtae esset, is se finxit plexum a Musis, qui pluris fecisset vina Burgundiae quam fontem Castalium;

*Pierides fusis risere cachinnis
Delusum sine Baccho et aqua Permeside vatem.*

Santolius gratus erat etiam Condeorum familiae, et Cornelius, ille tragediae Gallicae pater, Santoili versos vertit in Gallicum, sicut hic latine reddidit quaedam Corneliana.

Sed ne Santolio quidem licebat impune fructum capere gloriae et amicitiae. Quam illi amara fuit ea contentio, quam habuit cum Francisco Carpentario, litterato! Nam cum circiter annum 1670 nova urbis aedificia inscribi oporteret, acriuscule inter doctos disceptatum est, Latinis praestaret an Gallicis versibus concribi. Tum Santolius, qui ea nimurum Latina volebat, pugnare coepit cum Carpentario editio poëmate de Cossarto magistro suo, quod «de desperatione linguae Gallicae» inscriperat. Carpenterius contra, ut se ulcisceretur, maligne carpere coepit Santolii versus. Hoc acerbum erat monacho, licet item illam obtinuerit.

Sed multo acerbius sibi contraxit malum tertio ante mortem anno. Antonius Arnault, insignis Jansenista, exul mortuus erat Bruxellis anno 1694. Moniales autem Portus Regii abbatiae, oraverant ut sibi liceret in suo monasterio Arnaldi cor. Santolius autem, qui Arnaldi semper amicus fuisse, et Portum Regium qui locus multorum doctorum quasi domicilium evaserat, haud raro accederet, amicorum rogatu hos in eam rem scripsit versus:

*Ad sanctas reddit sedes ejectus et exul
Hoste triumphato, tot tempestatibus actus.
Hoc portu in placido, hac sacra tellure quescit
Arnaldus veri defensor et aequi.
Illiū ossa memor sibi vindicat extera tellus.
Huc caelestis amor rapidis cor transtulit alis,
Cor nunquam avulsum nec amatis sedibus absens.*

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

(Continuabitur)

Conloquium in schola

Lexicon Forcellinianum et Wagnerianum

Personae: THADDAEUS, LUCAS

- T.—*Audi, Luca: quī fit, ut in compositionibus tam optatas semper optineas censuras?*
L.—*Quī fit rogasp? Unusquisque sibi vivat.*
T.—*Ex alio necesse est te compositiones repeteare.*
L.—*Nequaquam: id ego ut faciam quo nullus eas perficit melius?*
T.—*Atqui dic quid agas, arcanum enim non puto cuiilibet celandum.*
L.—*Res simplissima: lexica adhibeo quae in bibliotheca nobis sunt in promptu.*
T.—*Lepidam rationem!*
L.—*Hoc tibi habe, Thaddaeo: neque ego de utilitate hujusmodi lexicorum prius cogitaram, quam ea utenda suscepī, cum id praceptor noster vehementer suaderet; nunc autem ea tantopere probo ut numquam e manibus excidant.*
T.—*In bibliotheca nostra est et Forcellinius et Wagnerius; eos referebas, nonne?*
L.—*Duos ipsissimos, sed potissimum priorem.*
T.—*Forcellinium? At est adeo mellosus... Raimundum Miguelem praefero.*
T.—Oye, Lucas: ¿cómo es que en tus composiciones obtienes siempre tan buenas notas?
L.—¿Que cómo? Cada qual que se espabilo.
T.—Debes copiar las composiciones de otro.
L.—Jamás. Yo copiar que soy el que las hago mejor?
T.—Pues dime cómo te apañas; no creo que sea ningún secreto.
L.—Muy sencillo: me sirvo de los diccionarios que están a nuestra disposición en la biblioteca.
T.—Vaya una manera!
L.—Escucha, Tadeo: tan poco yo había caído en la cuenta de la utilidad de estos diccionarios antes que empezara a usarlos a pesar de instarnos mucho el profesor: mas ahora me gustan tanto que nunca los dejo de la mano.
T.—En nuestra biblioteca están Forcellini y Wagner: a ellos te refieres, no es verdad?
L.—A estos dos precisamente y sobre todo al primero.
T.—¿A Forcellini? Pero es tan empalagoso... Prefiero a Raimundo Miguel.



- L. — *Miguel, dices, qui nullam comparationem sustinet cum Forcellinio?*
- T. — *Sed saltem praebet quod quaesieris; quid plura? Forcellinius vero pro qualibet vocula explicaciones deferit numquam finiendas, quas si obiter dumtaxat legeris, tempus periit inconsulto.*
- L. — *Praestat multum atque id bonum, quod desert Forcellinius, quam pa- rum, quamquam bonum etiam, quod Raimundus habet.*
- T. — *Vera praedicas, sed urgente temporis spatio, quid tibi videtur optabilius?*
- L. — *At vero ipse id non accipio, quod tempus teras cum Forcellinio. Fortasse non animadvertisti in explicationibus eum materias varias signis distingue-re, atque diversas vocabulorum signifi-cationes digerere. Ita fit, ut quod tua intersit in unaquaque voce confestim inveneris.*
- T. — *Hujusmodi commodum non animad-verteram. Quid autem de Wagnerio?*
- L. — *Vocabularium Wagnerianum aliud si-bi propositum persequitur, quod te fu-giebat; ibi non sunt querendae voces ut earum significationes cognoscamus.*
- T. — *Quid ergo inveniēmus in eo?*
- L. — *Epitheta, synonyma, circumlocutiones, varios dicendi modos ad Latinitatem purissimam decoctos.*
- T. — *Vere magnum posuisti beneficium. Thesauros enim mihi nondum cogni-tos detexisti; posthac Forcellinius et Wagnerius duo erunt libri indesen-ter meis manibus voluntandi.*
- L. — *¿Qué dices? a Miguel, que ni siquiero puede comparársele?*
- T. — *Pero al menos presenta lo que se busca, que más quiero? Pero For-cellini por cualquier palabrita da explicaciones interminables, que si uno quiere leer aunque no sea más que de paso pierde el tiempo sin sentir.*
- L. — *Vale más mucho y bueno, que es lo que presenta Forcellini, que no poco, aunque también bueno que es lo que da Raimundo de Miguel.*
- T. — *Es verdad, pero cuando el tiempo es justo, que té parece mejor.*
- L. — *Es que yo te niego el supuesto que con Forcellini se pierde el tiempo. Quizá no has reparado que en las explicaciones va distinguiendo con señales las diversas materias y ordenando las distintas acepciones de las palabras. Según eso enseñada se encuentra lo que dentro de un tér-mino le interesa a uno.*
- T. — *No había caído en la cuenta de esa ventaja. ¿I Wagner?*
- L. — *El diccionario de Wagner tiene otro objeto del que tú te figuras; ahí no se buscan los términos para conocer su significado.*
- T. — *Pues qué vamos a encontrar en él.*
- L. — *Epítetos, sinónimos, frases, paráfrasis de la más pura latinidad.*
- T. — *Realmente me has hecho un gran favor; me has descubierto tesoros desconocidos; desde ahora Forcellini y Wagner han de ser los libros que más he de manejar.*

**Diarium Missarum quae acceptae, mandatae, celebratae sunt
cum apendice quae est Directorium perpetuum missarum
votivarum et defunctorum.**

*Scripsit Sic. D. Michaël de Prada Fernández
Astorga, Imprenta N. Fidalgo, 1932.*

CURSUS GYMNASTICUS

QUARTA VERGILII ECLOGA

Peculiarem in Vergilii bucolicis locum obtinet Ecloga IV. Ceterae lepore et venustate, edyllica suavitate plenae, quibus pastoralis vita jucunda simplicitate pingitur. Haec vero ita orientalibus metaphoris scatet et allegoriis ut omnium interpretum animos in se converterit, quorum magna inquirentium opinionum dissimilitudo quinam tandem sit ille vir cui nimiae ignoti pueri laudes tribui debeant. J. Carcopino⁽¹⁾ et L. Herrmann⁽²⁾ in Universitatibus Parisiensi et Bruxellensi professores, suam quisque sententiam mordicus eruditione laudanda propugnati sunt. Tenet Carcopinus *puerum* in ecloga commemoratum esse As. Salonium, Antonii As. Pollionis consulis filium; adversarius vero Marcum Cl. Marcellum praefert, filium Octaviae et G. M. Marcelli. Nec desunt, praesertim inter veteres, qui cum S. Augustino Messianicam sequantur interpretationem. Indubium hoc tamen restat: «In hac ecloga solus poëta loquitur de restauratione novi saeculi, hoc est: Saturni regnum aureum sub Octaviano adulanter restauratur... simpliciter canit genesim renascentis mundi sub Caesaribus»⁽³⁾. Hanc quaestionem, amice lector, utpote ab hisce annotationibus alienam praetermittamus, ut Vergilianum carmen melle dulcius, nulla controversiarum cura, degustemus.

Sicelides Musae, paulo majora canamus,
Non omnes arbusta juvant humilesque myriæ;
Si canimus silvas, silvae sint consule dignæ.

Sicelides: Musas Siculas invocat Vergilius, quia bucolicorum poëtarum princeps Theocritus, quem imitatur, Siracusis Siciliae urbe natus est.—*Juvant*: Delectant. Sic Horatius: «Multos castra *juvant*, et lituo tubae *Permixtus sonitus*»⁽⁴⁾.—*Si canimus*: Indicativus, non subjunctivus usurpatur cum certe adimpletur condicio; hispanice redditur: *Puesto que cantamos*.—*Silvas*: Pro carmine pastorali; metonymia signi pro re significata.—*Silvae consule dignæ*. Caelius, quem sequitur Minellius, auctor est per hoc adlusum «ad veterem Romanorum consuetudinem, apud quos cautum erat ut consules ipsi curam collium et silvarum haberent, ne ullo modo ligna deficerent ad confiencia publica navigia».

5

Ultima Cumæi venit jam carminis aetas;
magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Jam reddit et Virgo, redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies caelo demittitur alto.

(1) *Virgile et le mystère de la IV Eclogue*, 1930 Paris. —(2) *Les masques et les visages dans les Bucoliques de Virgile*, 1930 Bruxelles. —(3) *Scholia Bernensis* in Prolog. ad IV Ecl. —(4) *Carm. I. I, 1.*

*Cumaei: Plures interpretantur de carmine sibillino a Sibilla Cumae Italiae urbe; verum non desunt (Herrmann⁽¹⁾, Lagrange⁽²⁾) qui ad lusionem videant ad Hesiosi carmen cui titulus «Labores et dies»; ut enim ait Philargirius, «Cume est urbs Asiae quam reicta Ascra civitate sua, posteriore tempore aetatis incoluit (Hesiodus⁽³⁾)». — *Ab integro: E* longum ex sequentibus consonantibus *fracta et liquida.* — *Virgo: Astraea,* dea justitiae, quae finito aureo saeculo, propter hominum nequitiam, e terra excessit. — *Redit... redeunt:* Traductio seu poliptoton. — *Saturnia regna:* Aetas aurea; metonymia causae pro effectu. — *Demittitur de caelo:* Facile omittitur propositio si verbo inclusa est.*

Tu modo nascenti puer quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo
casta fave, Lucina; tuus jam regnat Apollo... 10

Modo nascenti: i. e. *modo nato* (Heinde-Wagner, Krause), *modo nascituro* (Wimmers, Schaper); *fave nativitati pueri* (non attributum sed praedicatum: Sonntag, Cartault). — *Quo.* Ablativus loci. «Ablativo sine prepositione utendum est... frequenter cum quibuslibet nominibus tam propriis quam appellativis, adjecto *totus*, quandoque *omnis* aut *medius*»⁽⁴⁾.

Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit
Pollio, et incipient magni procedere menses;
te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
inrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deūm vitam accipiet, divisque videbit
permixtos heroas et ipse videbitur illis,
pacatumque reget patriis virtutibus orbem. 15

Teque adeo... te consule... te duce...: Repetitio. Incipit poëta ad epicos concentus adsurgere. — *Menses:* tempus determinatum pro indeterminato; synecdoche. — *Te duce, si qua...:* Carcopinus sequens editionem Hirtzel et Goelzer, legit: *Magni procedere menses, te duce. Si qua manent... Sceleris...* Hoc scelus est vel nex Caesaris vel Trojanorum perjuria, quibus posteriorum Romanorum calamitates tribuuntur. — *Ille deūm vitam...:* Adludit ad auream aetatem qua dii cum hominibus familiariter agebant. Tres versus sequentes sublimiora generis epicí attingunt, ita ut in libro VI Aeneidos perfectum locum habuissent. — *Heroas:* Accusativus pluralis Graeco-latinus, cuius terminatio as corripitur. — *Patriis virtutibus:* Duplicem habere potest sensum, sc. *reget patriis virtutibus orbem pacatum;* vel *reget orbem pacatum patriis virtutibus.*

At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
errantes hederas passim cum bacchare tellus

(1) *Op. cit.* p. 77. — (2) *Le prétendue Messianisme de Virgile*, in *Rev. Bibl.*, 1922, p. 561. — (3) *Philarg.* IV, 4, p. 73. — (4) *Llobera, S. J. Grammat. clas. Lat. n.* 282. 4.^o

20

mixtaque ridenti colocasia funde tacanho.
 Ipsae lacte domum referent distenta capellae
 ubera, nec magnos metuent armenta leones.
 Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores;
 occidet et serpens et fallax herba veneni
 occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum..

At tibi prima: Pulcherrima beatitudinis aetatis aureae descrip-
 tio, ubi poëta sublimitates epopoeiae deserens, ad musam pastoralem
 redit. Epithetorum proprietate et imaginibus ipsam Ovidianam Meta-
 morphoseon descriptionem facile superat. Nota venustatem, ut ita
 dicam infantilem, telluris ubertatem et laetitiam. sequentibus verbis
 expressam: *Munuscula...* *Errantes passim...* *Mixta ridenti fundet...* Tota
 natura augusto *Puero* renidet, ipsaque cunabula floribus circumdata,
 prosperitatem et omnis generis felicitatem quam mundus ab hoc In-
 fante sperat, praesagiunt. — *Bacchare:* Hoc nomen Despauterio vide-
 tur feminei generis. Vossio vero neutrius; at rectius Forcellinius et
 Freund distinguunt *bacchar-aris* (neutrum) et *baccharis-is* (femin). —
Ridenti acanthe: Epithetum ridens raro cum acanthe apud poëtas in-
 venitur; nunc tamen laetam efficit imaginem. — *Ipsae lacte domum:*
 Prosopopoeia; ipsa quoque animalia felicitatem experientur. — *Disten-
 ta:* plena. — *Occidet...* *occidet:* Complexio, quia scilicet ab eodem verbo
 incipit et clauditur oratio. — *Fallax herba:* Epithetum poëticum et
 imago. Stupet lectoris animus in supra laudata descriptione tot simi-
 litudines animadvententis, quas fortuitas dicere non auderem, cum
 Isaiae descriptione aetatis Messianicae. Prophetae verba in medium
 adducere placet quo facilius lectores comparationem instituant: *Ha-
 bitabit lupus cum agno et pardus cum haedo adcubabit; vitulus et leo
 et ovis simul morabuntur et puer parvulus minabit eos.* Et delectabitur
*infans ab ubere super foramine aspidis et in caverna reguli qui ablac-
 tatus fuerit manum suam mittet.*⁽¹⁾

H. MARTIJA, C. M. F.

II. — De comparativo relativo

Hactenus de absoluto; nunc quaedam notemus quae comparati-
 va spectant relativa, quae manifestum habent alterum comparationis
 terminum.

Exempla: Praeceptor doctior est discipulo (quam discipulus). Filius tuus diligen-
 tor est meo (quam meus). Melior tutiorque est certa pax quam sperata victoria (spe-

(1) Is VI, 6-9.

ratâ victoriâ). Caedes in eo proelio minor (quam) victoria fuit. Nuces ampliores et pulciores sunt quam ceterae arbores pomiferae (ceteris arboribus pomiferis). Optamus ut vos feliciores sitis quam nos (nobis). Multi duces feliciores fuerunt quam Hannibal, pauci prudentiores (Hannibale). Mensis Aprilis brevior est quam Martius (Martio).

Saepe alter comparationis terminus simplici ablativo quorum-dam substantivorum vel adjectivorum totus substituitur.

Exempla: Saguntum adlatum est oppugnari omnium *spe* celerius. *Opinione* celerius venturus esse dicitur. Praeda omnium *spe* major fuit. Res *exspectatione* omnium tranquillior. Latius *opinione* disseminatum est hoc malum. Milites longius *necessario* processerunt. Hiems fuit *solito* gravior. *Dicto* prope citius equum in via Blaudius dejecit. Plus *justo* nobis placet causa. *Opinione* omnium majorem cepi dolorem. Visus est sol rubere solito magis.

In orationibus comparativis loco nominativi cum *quam* ponitur *necessario* ablativus:

a) cum qualitas cum re confertur eandem qualitatem in summo gradu possidente.

Exempla: Nive candidioribus ambo vectabantur equis. Luce sunt clariora nobis tua consilia. Hoc est gratum; nobis quoque carius auro. O dulcior illo melle quod in ceris Attica ponit apis. Frater ille tuus vel mihi vita carior erat. Pluma levior est qui saepius in die consilium mutat. Super dorsum meum onus imposuisti Aetna gravius. Munuscum misisti vilius alga. Petrum familiarem meum nosti pisce taciturniorem. Sole ipso clarior ex labris ejus fluebat oratio. Afros vidimus carbone nigriores. Aedes ejus parietibus fulgebant vitro splendidioribus. Nihil est mente celerius.

b) cum idem vocabulum secum comparationem sustinet.

Exempla: In Manliano inveni *Diphilum Diphilo* tardiorum. Litteras tuas sexcentas uno tempore accepi *aliam alia* jucundiorem. Plures in eo sunt partes quarum *alia* est *aliam* ad laudationem aptior. Quid *optimo melius* esse potest? Non *temperanti* viro *temperatiorem* nec *forti* *fortiorem* posse fieri facillime perspicitur. Habes Sardos venales *alium alio* nequiorem. Sermones tuos cottidie audiebam *dulci* certe *dulciores*. *Inepto inceptor* videbatur magistratus qui te prehendere jussit. De re philosophus ille Graecus *recto rectius* est elocutus. Hoc *certo certius* est et saepissime constitutum.

c) cum terminus comparationis est pronomen relativum.

Exempla: Animae virtutes ex ratione gignuntur qua nihil est in homine divinus. Polybium sequemur quo nemo fuit diligenter. Hi mei sunt liberi, quibus nihil mihi potest esse jucundius. Mater omnium bonarum artium sapientia est, qua nihil a diis praestabilius hominum vitae datum est. Phidiae simulacris quibus nihil in illo genere perfectius videmus, cogitare tamen possumus pulciora. Ne obferamus nos periculis sine causa, quo esse nihil potest stultius. Non ego cum Dionysii qua taetrius excogitare nihil possum, Platonis vitam comparabo. Cole amicitiam qua quid potest esse dulcior?

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

MAX ET MORITZ

Facinora puerilia septem dolis fraudibusque peracta, ex inventione GUILIELMI BUSCH, poëtae pictorisque; in sermonem Latinum conversa a versificatore sereno (Dr. G. Merten) Editio octava, a. MDCCCCXXXIII. MONACHII apud BRAUN et SCHNEIDER, bibliopolas.

Praefatio (1)

Heu funestam juventutem!
Nullam video virtutem
Nunc in nostris liberis,
Nullam etiam in his.*
Max et Moritz vix puniti,
Poena cito jam obliti
Omnes bonos irridebant.
Et ludibrio habebant,
Quin ad maleficia
Diriguntur studia!
Homines ludificantes,
Bestias vero cruciantes,
Poma, pruna defurantes,
Omnia loca pervagantes
Magno gaudio utuntur;
Instructione non fruuntur.
Sed «vae, vae, vae» nos clamamus,
Exitum si jam spectamus!!
Quanta sit peccati vis,
Nunc his imagunculis
Et his verbis demonstrabo
Virtutemque adjuvabo.

Dolus Sextus

Homines pistorii
Probi sunt et placidi
Crustum dulce facientes
Condientes et coquentes.
Nostrí pueri amabant
Crusta et desiderabant.*
Quos hic pistor scit et audit
Itaque pistrinum claudit.*
Hinc consilium est capiendum:
Per caminum est rapiendum!*Ecce pueri non pigrí!
Ambo sunt, ut corvi, nigri.*
Sed in cistam dejactantur
Et farina maculantur.*
Ea re sunt dealbati,

Velut creta maculati.*
Pellicientes sunt et mundae
Illae crustulae rotundae.*
Sella fracta cadunt tum
In propinquum alveum*
Plenum atque lubricum.*
Lapsu territi et muti
Stant nunc massa involuti.*
Pistor eos deprehendit;
Manus capturas tendit,*
Cito pueros raptavit,
Duos panes fabricavit.*
Neque inconstanter ludit:
Pueros in furnum trudit.*
Furni aestu nunc coquuntur,
Cocti demum extrahuntur.*
Noli mortuos lugere!
Potes alacres videre.*
Domicilium perforant;
Partem crusti devorant...*

Conclusio

Fama mox per vicum ruit.
Ibi nullus luctus fuit.
Bolte dicit praesagisse
Se futurum, vel scivisse.
Boëcius: «Manet lex moralis:
Est malitia fatalis».
Lampulus: «Exemplum docet
Neque unquam bonis nocet».
Pistor: «Ne sis stupidus,
Dulcium rerum cupidus!»
Fridericus: «Malus jocus
Est calamitatis focus».
Denique agricola:
«Nihil interest mea».
Omni loco murmuratur
Et sententia promulgatur:
Vicit nunc justitia,
Perit malitia.

(1) Libenter specimen damus hujus jocosi libelli Latina exarati lingua. Praefationem integrum cum Dolo sexto et Conclusionem praebemus. Ubi posuimus* adeat in textu imaguncula polychroma rem mirifice exprimens. Libellus Catalaunorum PATUFET comparari potest. Nihil est, cur pueris eum non enixe commendemus.

Bibliographia

Florilegium Patriticum. *Fasc. XVII.* S. Benedicti regula monasteriorum. Edidit, prolegomenis, adparatu critico, notis instruxit Benno Linderbauer, O. S. B. — Bonnae sumptibus Petri Hanstein. — Regula S. Benedicti non modo iis, quibus primario exarata magno fuit semper momento, verum etiam theologis, historicis, philologis. Hinc in serie Florilegii Patristici non inmerito adlata est. In ea redigenda editor prae oculis in primis habuit Codicem Sangallensem 914, qui auctoritate ceteros longe antecellit; in apparatu vero critico semper scriptiōnem Codicis A notavit. Scribendi ratio aliquantulum, neque injuria, ab primaria scriptiōne diversa; ea tamen adcuratissima.

Fasc. XIX. Sententias Florianenses, edidit, prolegomenis, adparato critico, notis instruxit H. Ostlender. Sententiae Florianenses nunc primum editae, doctrinam Abaelardi continent a discipulo in aulis transcriptam.

Sententiae in manuscriptis titulo carent nec certo auctori tribuuntur; quo vero tempore conscriptae sint, non facile definitur. Momentum habet hic fasciculus ad hoc, ut doctrina Magistri Abaelardi distinctius adpareat; quae tamen cum nonnullis scateat periculis, opus fuit adnotationes ad calcem adjicere. Similiter addita est epistula Gualterii de Mauritania episcopi, quam scripsit adversus Abaelardi ejusdemque discipulorum doctrinas.

Fasc. XXIX. S. Anselmi Liber Proslogion, recensuit Fr. S. Schmitt, O. S. B. Proslogion parvum quidem, sed haud dubie celeberrimum S. Anselmi Canturiensis opus est. Continet quod a Kantii temporibus ontologicum vocant argumentum de Dei existentia. Argumentum hoc per saecula ad nostros usque dies animos cum theologorum, tum philosophorum vehementer conmovit, et, licet omnibus temporibus impugnatum, nostra adhuc aetate non desunt, qui ejus validitatem vindicent.

Initio auctor «*Fides querens intellectum*» opusculum inscripsit; jam vero Abbas renuntiatus, a multis rogatus, opus titulo «*Proslogion*» publici juris fecit. Paulo postquam libellus editus est quidam, in cuius manus advenerat, in fine objectionem adscripsit, quae per amicum auctori missa est. Anselmus responsionem textui adnexuit, optans, ut in posterum utrumque et impugnatio et rejectio «*Proslogion*» adponeretur, uti in hac novissima editione adparet.

Fasc. XXX. S. Bonaventurae prolegomena ad S. Theologiam, edidit Th. Soiron, O. F. M. In hoc fasciculo ex S. Bonaventurae operibus excerpta sunt capita praecipua ad S. Theologiae prolegomena spectantia nempe: materia seu subjectum Theologiae, ortus Theologiae, modus procedendi in Theologia, finis Theologiae, Theologia una scientia, de relatione Philosophiae ad Theogiam, dispositio ad studium Theologiae.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

Alois Walde. — Lateinisches Woerterbuch, 5 und 6 Lieferung (Bogen 21-25). — Heidelberg, 1932. Carl Winters Universitätsbuchhandlung.

Accepimus non ita diu fasciculos 5 et 6 dictionarii etymologici Waldensis, quod tertium nunc prelo subit a claro J. B. Hofmann. A vocabulo vero cyma ad vocem usque fere continuatur hoc maximi ad etymologiam enucleandam momenti lexicon, in re jam fere classicum atque probatum, quamquam sunt nonnulla, cum de re agatur admodum labili, eunte tempore, recudenda. Genealogia, ut nunc quidem est, verborum hic uno quasi conspectu deprehenditur, atque lexicō etymologico A. Ernout et A. Meillet mirifice subvenit, duo ad Latinitatem praeclarissima nostrorum temporum monumenta. Nihil est, cur opus commendemus lectoribus Palaestrae, ipsius auctoris nomen cum sit summo honori libro.

Josephus Fornari. (1) *Communia vitae, editio altera.* — «*Ut morem gererem pluribus, qui a me fasciculos, sub titulo Communia vitae, phrases et formulas complectentes ad Latina colloquia instituenda, abhinc annos aliquot editos ac brevi venditos, repelebant, eos, passim amplificatos, in volumen hoc unum redegi.* His quidem versibus cum auctoris scopus, tum materia libelli satis adparet. Quod ad ordinem phrasium et formularum attinet, fusius in prooemio galeatum, ille nobis logicus admonitum et accuratus est. En breviter tibi libelli argumentorum index: Salutatoriae formulae; De valetudine percontatio; Morbi et Medicamenta; Petitur et datur facultas rogandi; Auxilium imploratur; Quaeritur apud aliquem commendatio; De adversario querela; Consultum et patrocinium in judiciis; Illata convicia; Discrepantes sententiae; Benevolentia amissa; Negotia improspere gesta; Officia libenter praestita; Gratus animus; Alea, atque debita inde conflata; Tributa et Vectigalia; Mors-Testamentum.

Aptum omnino ad finem libellum ducimus. Nobis tamen nimis longa, eaque prior libri technici videtur elaboratio paragraphi tertii «Morbi et Medicamenta» (pag. 15-37). Atque hac mea adnotatione sufficiat, etsi ea valde procrastinata, ad commendandum lectoribus et libellum et Commentarium Almam Romam ab eodem J. Fornari, claro viro, moderatum.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

F. Rebêlo Gonçalves. — *A Fala do Restelo, Aspectos clássicos deste Episódio Camoniano.* — Lisboa, Imprensa Nacional, 1933.

Poësis Camonianæ studiosis perutilis hic erit libellus, a R. Gonçalves in Ulissiponensi Universitate classicarum linguarum professore, nuper editus. Quinque admonitum capitibus, iisque luculentis atque scitis, opus totum absolvitur. Primo in capite (pag.

11-20) erudite de sensu historico Episodii agit, id quod mirifice viam ad verum extricandum sensum Auctorisque finem sternit. In secundo vero (pag. 21-28) nonnulla antefert de aspectu classico, quem redolent eae, quae praeeunt Episodio lamentationes populares. In tertio autem (pag. 29-33) strophem primam esse characterem «do velho do Restelo» adfirmat atque analysi accurata probat. In quarto (pag. 35-51) disserit de identitate Episodii in genere cum choris tragicis antiquis. In quinto (pag. 53-69) tandem de Episodii identitate in specie cum classicis materiis.

Cum in prologo tum in bibliographia liquet auctoris de re accurata investigatio eiusque poëtarum cognitio classicorum. Quod bene humanioribus litteris vertat!

Georg Capellanus — Lamer. — *Sprechen Sie Lateinisch? Elfte, erneut vermehrte und durchgesehene Auflage.* — Ferd. Duemmlers Verlag — Berlin und Bonn.

In fasciculo XV Palaestrae, anno proxime transacto, lectori praebui libelli hujusce decimam editionem. Nunc autem jam undecimam nuntiamus (21-23 mil.).

*Adhuc, ait in prologo Dr. Lamer, solacio erat fere lectori liber. Nunc scholas ipsas invadit, ut in quodam gymnasio Germanico ad lectionem adhibeatur. Praeterea anno 1930 adparuit jam libri hujus Anglica translatio, hoc titulo: *Modern Latin Conversation, translated from the German of George Capellanus, Ph. D., by Bertrand F. Kraus, M. A., in Bruce Publishing Company, New York, Milwaukee, Chicago, 1930.* Hisce multum confirmantur factis ea, quae in recensione decimae editionis dabam de aestimatione libelli. Editio haec decem anteriore plus habet pagellas, in quibus curiosos versus invenies atque sciu digna cantica. Quandonam vero apud nostreates adeo Latinae erulgandae linguae consultur ab eis, qui sermoni Latino narant operam?*

J. GONZÁLEZ, C. M. F.

(1) Dolendum sane nobis, carissime J. Fornari, te adhuc recensionem pulcri tui libelli in Palaestra non vidiisse. Id evenit oblitione quadam: procrastinationi, igitur, tu certo ignoscas. — Qui autem subscripti recensionem auctor est eorum, de quibus dicebas, colloquitorum, qui una cum Ildefonso González benevolentiam amat tuam.

Exercitationes Scholares

El perro marino y la zorra

(Ann. III, n. 22)

En cierto lugar costeño de Trieste, los marineros partían a hachazos un perro marino que habían muerto con sus lanzas. En su estómago abierto encontraron zapatos de varón, un reloj y pedazos de vestido. De donde se echaba de ver que en su gula había devorado un hombre.

Pasando por allí casualmente una zorra, y dándose cuenta de eso exclama: ¡Qué monstruo tan terrible! Bien por mí que tan solamente mato alguna gallina o algún pollito.

El haber faltado, sea en cosas grandes o en pequeñas, es siempre delito y cosa detestable.

Los pescadores, la fortuna, la actriz y el perro marino

(Ann. III, n. 23)

La pobreza y las riquezas sufren diversas alternativas. Dos pescadores embestían frecuentemente a la Fortuna con palabras injuriosas. Una vez se dejó ver de ellos, sentada en su veloz rueda, y les gritó según iba huyendo: Lejos de mí el vengarme; ya me alabaréis algún dia.

Dirigiéndose desde las costas de América con rumbo a Italia una hermosa actriz, acostumbrada a figurar en aristocráticos escenarios, ve que su monísimo perrito, deslizándose por la nave, cae al mar, y queriendo ella salvarlo de la muerte, lánzase al agua, mientras el perrito va nadando.

Unos marineros, espectadores del caso, estaban a punto de salvar a la mujer; cuando he aquí que un can marino, apareciendo de repente, la coge y devora, y lo mismo hace con el perrito. Al día siguiente, los dos pescadores cogieron al

monstruo horrendo, y al partirlo con sus hachas, encontraron en su estómago todo un tesoro mujeril: pendientes, piedras preciosas, pulseras de oro macizo, alfileres magníficos de los cabellos y de los vestidos, pues según su condición, la actriz gustaba de adornarse profusamente.

Entonces la Fortuna les dice a los pescadores: Ahora me alabaréis.

ALFONSO PRIETO

Oniati in Guipuzcoa.

Aelius Tubero et Picus

(Annus III, n. 20)

Cum Aelius Tubero, praetor urbanus, jura populo redderet in foro, picus super caput suum mansuete sedit ita, ut manu capi posset. De re interrogati vates responderunt, imperii stragem portendi, si illum liberaret, aut praetoris mortem, si illum exanimaret. Praetor picum illico concerpsit et prodigium brevi adimpletum est: Nam Aelii stirps mortem septende cim suorum filitorum vidit ad Cannas, dum imperium, currente aetate, summum fastigium excesit.

JOHANES EMMANUEL JAEN

Seminarii Abulensis alumnus.

Aelius Tubero et Picus

Picus ita mansuetus supra caput sedid Aelii Tuberonis, praetoris urbani in foro jura populo reddentis, ut manu captari posset. Cumque vates de facto fuisserint interrogati, imperii destructionem portendi dixerunt, si ille dimitteretur; si autem exanimaretur praetoris interitum. Praetor ergo statim concerpsit passerem et prodigium aliquo tempore post impletum est. Nam Aelia familia septendecim ex filiis ad Cannas subcumbe-re vidit; res publica vero, labentibus annis, summum fastigium excesit imperii.

ANTONIUS REVILLA

Seminarii Barbastrensis alumnus.

Compositiones Vertendae

Las Pelucas

Felipe, duque de Borgoña (1), por sobrenombre (2) el Bueno, fué el primero que, sin darse cuenta (3), dió el ejemplo de las pelucas (4). Privado de los cabellos a causa de una larga enfermedad, por consejo de los médicos cubrió su cabeza con una peluca (5). Los cortesanos, con aquella delicadeza que los des-

tingue (6) hicieron otro tanto en la ciudad de Bruselas (7) en número de quinientos.

Notulae

(1) Burgundia.—(2) cognomentum.—(3) non volens.—(4) coma adsciticia: caesaries artificiosa.—(5) Qua sunt auxili comitate.—(6) Bruxellis in urbe.

Equus bellator et equus timidus

In agro Tusculano aetate proximi (1)
eidem domino duo succrescebant (2) equi
uterque jam ferendis par (2) laboribus
generosus alter, timidus alter unice (4).
Delectus (5) ambos ad pugnandum destinat:
terretur timidus, dictoque alteri vale (6)
abripiens (7) sese velox nemorosum Algidi
fugit in anfractum, (8) pacem post bellum manens (9).
In castra pergit ille, strenuo duci
comes et adjutor missus, praestans viribus. (10)
Militia exacta, pulsis fractisque hostibus,
victri fronde dignae redeunt copiae:
Catonis rura patria ornata collibus,
revisit bellator equus, parta gloria (11)
et ipse exultans, praemium factus duci:
et timidus adstat, qui locutus traditur
o te felicem! Ad cannas paleas et simum,
onus triste, metu condemnor et ignavia.

Notulae

(1) Casi de la misma edad.—(2) iban creciendo.—(3) capaz uno y otro.—(4) extraordinariamente.—(5) leva o alistamiento.—(6) dicere vale=despedirse.—(7) escapar.—(8) sinuosidad.=—(9) espe-

rar.—(10) notable por sus fuerzas.—(11) conquistada la gloria.

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.
Moderator

Typographia F. Camps Calmet — Tarregae.